



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 126. Hoc diploma per Papæ Nuntium in Franciam delatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

præcepti, admonitionis, & adhortationis **Sæcul. XVI.**
 infringere, vel ausu temerario contraire: **A.C. 1560.**

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Huic diplomati subscripti legebantur præprimis summus Pontifex, necnon ex triginta, & uno Cardinalibus, præcipue Carpius, Tusculanus, Cæsius, Moronus, Madrutius, Truchsesius, Cueva, Tiberius, & alii. Postea eadem hæc Bulla Mense Decembri prælecta, ac promulgata per duos Cursores Apostolicos fuit publice affixa.

§. CXXVI.

Hoc diploma per Papæ Nuntium in Franciam delatum.

Die trigesima Novembris summus *Pallav c. 17.*
 Pontifex missis ad Franciæ Archi-^{n 7. & l. 15.}
 episcopos, atque Antistites literis eos-^{c. l. n. 5.}
 dem ad Synodum invitabat, quinimo promulgato priori diplomate mox Sedis Apostolicæ Nuntium in Franciam ablegabat, qui præfatas literas Regio Senatui porrigeret, easque acceptari curaret: porro hic nuntius erat Nichet-

H h 3 tus

Sæcul. XVI.
A. C. 1560
tus, seu Niquetus S. Gildafii Abbas, qui Ferrariensi Cardinali ab epistolis erat, isque ipse, quamvis iter suum ea, qua poterat, celeritate perficeret, nihilominus nonnisi duodecimo post Francisci II. Regis obitum die, seu decimo septimo Decembris in Franciam pervenit.

Ceterum priusquam hic Rex mortalitatem exueret, Galliarum Regnum pluribus agitabatur tumultibus, ac præprimis Stampis quidam nomine Sagas, cujus opera Navarræ Rex, & Condæus Princeps utebantur, carceri mancipatus est, eoquod penes ipsum literæ a Montmorentio Connestabili, & Francisco Vindocinensi Vice-Domino Carnutensi scriptæ reperirentur: equidem in Montmorentii epistola, utpote nonnisi officiosis verbis concepta nil suspectum continebatur: ast ex Vice-Domini literis clandestina, quæ agitabantur, consilia fuere detecta, simulque compertum, quod Franciscus Vindocinensis sese totum Condæi Principis arbitrio dicare, cunctaque sua obsequia pro viribus eidem impendere pollicitus sit, si forte quicquam ad Regis utilitatem aggredi moliretur. Hæc epistola arcanis notis scripta erat, eam vero ipsemet Sagas tormentorum minis perterritus, interpretandi media suggerebat,
unde

Sæc. XVI.
A.C 1560.

unde comperto epistolæ tenore Agen-
nensis Senescallus, ac Regii Satellitii
Præses Vice - Dominum in suis ædibus
primo capere, ac demum die vigesima
septima Mensis Augusti in carceres,
quos Bastilliam vocant, abducere jus-
sus est.

§. CXXVII.

*Carnutensis Vice-Dominus Bastillie
inclusus.*

Postmodum Sagas non modo ea, quæ *Thuan. l. c.*
comperta habuit, sed etiam illa, quæ *Mezeray*
de Navarræ Rege, & Condæo Princi- *abrege chro.*
pe conjiciebat, libere aperuit, dixitque, *t. 5. p. 41.*
quod illi cum magna militum manu ad
visendum Regem profectioem in au-
lam adornarent, & transitus obtentu Pi-
ctavium, Cæsarodunum, Aurelianum, fi-
das sibi, & situ munitas, urbes occu-
parent: Montmorantius vero Conne-
stabilis Lutetiam Parisiorum, cui urbi
ejus filius præest, Picardiam per Senar-
pontium, & Buchauanium, Armori-
cam per Joannem Brossium Stampen-
sem, Provinciam denique per Claudium
Sabaudum Tendæ Comitem Sororium,
ceterasque Regni Provincias, & urbes
per clientes, amicosve suos recepturus
esset, eo consilio, ut hi omnes Gui-
fianis sede dejectis publicam liberta-
tem assererent, ac Regnum firmarent:

H h 4 quem